



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XVI. Apud Leudicam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

XII. De hominibus qui iterum à novo raptos faciunt, ut à Missis comprehendantur, & constringantur, & ad Regis præsentiam deducantur.

XIII. De fidelitate Regi promittenda, id est, omnes per regnum illius Franci fidelitatem illi promittant. Et qui dicunt se illam promississe, aut certis testibus hoc adprobent, aut jurent se illam antè jurasse, aut illam ipsam fidelitatem promittant.

*Sacramentum autem fidelitatis tale est.*

Ego ill. Karolo Hludouici & Iudithæ filio ab ista die in ante fidelis ero secundum meum favirum, sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi. Si me Deus adjuvet & istæ reliquæ.

*Anno incarnationis Domini DCCCLIV.  
v. Nonas Iulias in mallo Remis isti juraverunt quòd juratam habuissent fidelitatem.*

ISTI IVRAVERUNT ANTIQVITVS.  
Teudacrus. Amalricus. Rotboldus.

Amalbertus. Dodo. Wingboldus. Berulfus. Wala. Herilo. Heirbertus. Aillardus. Gotlandus. Hilpricus. Gerlegius. Amalgifus. Heico. Amalricus major de Buxido.

ISTI IVRAVERUNT FIDELITATEM.

Goderamnus. Dodilo. Sigebertus. Fidentius. Ermenulfus. Teutgrimus. Wicboldus. Ermengaudus. Rotmundus. Gifulfus. Haimiricus. Teutboldus. Drogo. Teodericus. Ebroinus. Rodoinus. Giflinus. Wlfridus. Haimuinus. Wandrebertus. Berecarius. Angelinus. Ado. Meinardus. Ottradus decanus. Guntbertus decanus. Hervvincus decanus. Ozias. Ailus. Teudaldus. Teodoldus decanus. Bertricus. Rothaus. Ingobertus. Amblinus decanus. Gozselmus decanus. Wlfrarius. Flodoinus. Anglebertus. Emmenulfus. Sicbertus decanus. Hecto. Isaac. Giflardus. Alaricus. Gerardus. Madergaudus decanus.

## TITVLVS XVI.

Apud Leudicam.

HÆ SVNT ADVNTIATIONES QVAS HLOTHARIVS  
& Karolus apud Leudicam adnuntiaverunt anno DCCCLIV.

HLOTHARIVS

II.

SERENISSIMVS IMPERATOR.

CAP. I.

**S**CIRE volumus vestram omnium fidelitatem quia frequenter præfenti anno dilectissimum fratrem nostrum Hludovicum invitavimus ut commune conloquium cum fidelibus nostris haberemus, atque cum illis de Domini voluntate, quantum ipse inspirare vellet, ac de sanctæ Dei Ecclesiæ utilitate, nostræque ac nostrorum communi profectu, honore, & necessitate tractaremus & ordinaremus. Sed quia prædictus frater noster hæcenus, sicut optaveramus, quibusdam impediens causis, venire distulit, nos illud omittere nolimus quin utiliter nos conjungereamus.

Nunc volumus vos certos reddere de nostra conjunctione, quia Christo propitio secundum Deum ad salutem sanctæ Dei Ecclesiæ nostramque ac vestram communem utilitatem & necessitatem indissolubiliter corde & opere conjungere nos volumus, ut unum simus in Christo, & vos unum sitis nobiscum.

III.

Sapiatis quia legem qualem antecessores nostri, hoc est, pater & avus noster, vestris antecessoribus concesserunt & servaverunt, nos similiter vobis perdonamus & inviolabiliter atque incorruptè & præfentibus & futuris temporibus per omnia volumus observare.

KAROLVS

GLORIOSISSIMVS REX.

CAP. I.

**H**anc siquidem conjunctionem facere idcirco usque nunc distulimus, quia volumus ut supradictus frater noster nobiscum pariter conveniens in eadem conjunctione se nobis associaret. Sed quia ille aliquibus impedimentis prapeditus venire omisit, nos audita perturbatione quam filius ejus facere conatur, consociare nos volumus. Sciatis ergo quoniam & in prosperis & in adversis simul erimus; nec poterit nos, Deo adjuvante, ullum offencilum ab ea caritate separare qua fraternis vinculis adstricti sumus. Sed ubicunque alterno solatio & adjutorio indigerimus, quantum Dominus permiserit, in invicem supportari & sustentari cupimus, atque contra omnem terrenum inimicum auxilium in alterutrum ferre volumus.

I I.

Si autem isdem frater noster, sicut optamus & ei mandamus, hoc agere distulerit, nos ita conjuncti sumus ut unus alteri tale prabeat solatium & adjutorium quatenus ubicunque necesse fuerit, amodo & deinceps, sicut pramissimus, unusquisque regnum sibi divinitus commissum quiete obtinere possit. Et si aliquis pari suo superstes extiterit, ipse qui remanserit, nepotes suos una cum regno patris sub tuitione & defensione habeat, ut contra adversantium machinationes auxiliante Deo ita muniti existant qualiter quieto ordine regnum patris obtinere valeant.

I I I.

Certissime igitur devotionem vestram scire cupimus quia veraciter nos recognoscimus in multis Deum offendisse animos. que vestros negligenter molestasse. Quae videlicet cuncta ita favente Christo pro

viribus emendare voti habemus ut & Deum placare & vestrae devotioni satisfacere possimus. De quibus omnibus certiores vos reddere curabimus cum plures nostri fideles convenerint, aut cum praefatus frater noster, ut ei mandavimus, venerit, si tamen venire voluerit, quomocunque vobis amabilis erit, ita ut veraciter cognoscatis promissionem nostram omnimodis adtendere & plenissime nos observare velle.

I V.

Illud praeterea in commune vestra & omnium comperiat solertia quia ideo vobis in hoc sacro loco haec sollicitudine denuntiare volumus ut noveritis cuncta quae dicimus, Domino favente, sanctisque ejus suffragantibus, in quorum praesentia denuntiantur, inviolabiliter observaturos nos esse.

*Hoc est sacramentum quod sibi mutuo juraverunt.*

Ab hodierna die & deinceps, si Hludovicus frater noster illud sacramentum quod contra nos juratum habet infregerit vel infringit, aut filij ejus ad talem partem regni quam tu contra eum acceptam habes, in quantum Dominus posse dederit, & contra ipsum & contra filios ejus ac omnes qui eam tibi auferre voluerint absque justa & rationabili occasione, si tu expetieris, adjutorium tibi defensionis praestabo. Si autem ego te supervixero, filijs tuis talem partem regni quam tu contra me & meum fratrem acceptam habes non auferam, sed consentiam. Et si ipsi vel fideles illorum expetierint defensionis adjutorium contra ipsum fratrem nostrum & filios ejus ac omnes, ut eam tenere possint, adjutorium in quantum potero praestabo, si tu aut filij tui idipsum adjutorium mihi praestaveritis, & a nobis vos non dissociaveritis.

